



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Praesertim Augustini, Et Thomae Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Sacramentis In Genere Et Specie - Libros Octo Complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput 171. Contrariis occuritur argumentis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73212](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73212)

primo statu: imò magis. Nec oportet imaginari aliud meritum, nisi puram misericordiam divinam, nec plus contritio est meritum ad gratiam, vel remissionem peccatorum, quàm bona opera sunt merita ad prædestinationem. Hoc enim erat bona pars erroris Pelagianorum, si ego quidpiam intel-

2156 Post Victoriam Driedo tom. 2. de captiv. & redempt. gen. hum. tr. 4. cap. 2. *Deus operatur gratiam & remissionem peccatorum, non propter quemlibet motum liberi arbitrii nostri, aut dilectionis, aut interioris pœnitentiæ, tamquam videlicet motus iste ejusdem, per tales graduum mensuras mereatur gratiam; sed propter suam misericordiam. Nostra enim dilectio, quæ eum diligimus propter seipsum, displicentiæque, secundum quam vidimus peccata, non est digna justificatione, aut meritoria gratiæ; sed Deus pro sua misericordia, ubi vult, largitur illam; quam si negaret, etiam sic dispositis, non foret iniquus.*

2157 *Hæc pœnitentiæ pars (ait Stapletonus in Promptuar. Catholic. in Festo S. Mariæ Magdalænæ §. 1.) quam contritionem Catholici vocant, remissionem peccatorum præcedit, non ut causa meritoria & efficiens, sed ut necessaria dispositio. Hæc autem explicatio non est importuna, propter hereticos, qui calumniantur doctrinam hæc in parte Catholicam, quasi hæc præviæ remissionis peccatorum partesita doceremus, ut vi, ac virtute & merito earum Deum nobis peccata remittere speramus.*

2158 *Catholici (inquit Bellarminus lib. 1. de pœnit. cap. 5.) non docent contritione nos emereri remissionem peccatorum. Audiant enim Catholici omnes Tridentinam Synodum disertis verbis concionantem, nihil eorum quæ justificationem præcedunt, mereri gratiam justificationis; & ideo gratis per Christum homines justificari, sess. 6. cap. 8. Itaque contritionem dispositionem esse volent Catholici, non meritum remissionis peccatorum.*

2159 His conformiter Vega lib. 9. in Trident. cap. 17. ad argum. 3. de incontinent. grat. Cajetanus apud ipsum, Gaspar Cassalius lib. 3. de quadripart. justit. c. 2. Fredericus Nauca in suo Catechismo cap. 47. de contrit. Lescotius tract. de grat. q. 5. de justit. Medina, Suarez, Henricquez, Lugo, & ipsos referens Leander à SS. Sacram. disp. 1. de pœnit. q. 27. aiunt, contritionem, etiam ex amore Dei super omnia, non esse ex natura sua sufficientem ad justificationem, sed ex gratuita misericordia, acceptione, & voluntate Dei.

2160 Atqui Deus contritionem, quàmlibet remissam, etiam ex amore Dei super omnia, non acceptat ad effectum justificationis, saltem post enormia crimina, &c. imò nec quancumque aliquo modo intentam, ad eundem effectum, ante infusionem Sacramenti, suscipiendum; sed solum perfectam, valdè intentam, acrem & vehementem, ut supra probavimus ex divina Scriptura, & Patrum traditione. Qui optimam hanc istius divinæ dispositionis rationem reddunt, ne facilitas remittendi, incentivum tribuat delinquendi. Et ut peccator, ex difficultate remissionis, agnoscat in quæ mala peccando se præcipitaverit, peccataque sollicitius caveat. *Quod enim de facili sanatur, non multum cavetur (ait Augustinus in exposit. Psal. 6.) Ex difficultate autem sanationis, erit diligentior custodia receptæ sanitatis. Denique ut simul peccator agnoscat, quantis lachrymis diluenda sint mala, malorum maxima; quodque non sine magna Dei misericordia, cum dolore non usque ad eò acti, incenso, ac vehementi, fiat peccatorum remissio in Pœnitentiæ Sacramento.*

Objicies primò: statim atque David dixit: 2161
peccavi Domino, Nathan Propheta ex parte Dei remissum significavit peccatum ipsius: Dominus transiit peccatum tuum. 2. Reg. 12. Transiit (inquit) de præterito, non transferes de futuro, ut significaret, statim ad actum contritionis subsecutam gratiam remissionis.

Respondeo, David immenso dolore statim veniam consecutum, ut ex Ambrosio dicitur can. *ille Rex de pœnit. dist. 3.*

Objicies secundò divina oracula, *cor contritum & humiliatum, Deus non despicies. Pl. 50. Cum ingemueris, tunc salvus eris. Isa. 30. juxta versionem 70. Impietas impii non nocet ei, in quacumque die conversus fuerit. Ezech. 5.*

Respondeo, non idè cor contritum, etiam imperiectè, a Deo despici, quia ob eam non statim peccata remittit, cum per ejusmodi contritionem disponat peccatorem ad peccatorum in Sacramento remissionem, faciatque in ipso inchoationem quendam vitæ spiritalis, conceptui similem (ut loquitur Augustinus) ejusmodi namque contritio spirituales hominem concipi facit, licet nondum faciat nasci, ut Fulgentius loquitur ad Ferrand., in ipsaque est salutis & remissionis initium, quatenus per eam peccator ad vitam præparatur, licet non nisi Pœnitentiæ Sacramento ad eam perducatur. A momento itaque contritionis, licet imperfectæ, spes certissima remissionis fit peccatori, si perrexit omnia, quæ Deus ad eam postulat, vel contritionem suam ad perfectionem promovendo, vel Sacramento cum debita dispositione suscipiendo. Et sub istis conditionibus, *impietas impii non nocet ei, &c.*

Objicies tertio: Scriptura gratiam, amicitiamque Dei promittit omni Deum diligenti, Prov. 8. *Ego diligentes me diligo. Joan. 14. Siquis diligit me, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. 1. Joan. 4. Omnis qui diligit, ex Deo natus est. 1. Petri 4. Univerfa delicta operis charitas.*

Respondeo primò, sic Deum id promississe, sicut promissit exauditionem omni petenti, salutem omni invocanti, vitam æternam omni credenti, panemque cælestem manducanti. *Omnis qui petit, accipit. Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Qui crediderit in eum, non confundetur. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum, &c.* Quæ omnia vera sunt, servatis servandis; de petente utique quomodo, & quantum oportet; de credente, manducante, &c. si non omittat cætera, verbo Dei scripto, vel tradito requisita, &c. Sic etiam Scriptura non uno loco justificandi vim variis rebus tribuit, v. g. fidei, elemosinæ, &c. quæ tamen sola justificare nequeunt, sed servatis cæteris, vel sub certis conditionibus, sub certa perfectione, &c. uti sapienter observat Bellarminus 1. 2. de pœnit. c. 7. ad quintam object. *Non itaque omni diligenti (ait Petrus Soto loco supra relato) omni invocanti Deum, omni se convertenti ad ipsum, sed eis qui ex corde perfectè hæc agunt, vel sicut oportet, vel servatis cæteris, quæ Deus exigit, promittitur gratia, & exauditiò, &c.* Nec aliud sentiri potest sine magno errore. Aliàs remissionem, amicitiamque suam Deus promississet omni diligenti se, etiam non super omnia, etiam dilectione naturali, secundum eos qui eam admittunt, &c.

Respondeo secundò, ex loco objecto Prov. 8. 2164
Ego diligentes me diligo, non esse consequens, quòd Deus sibi statim reconciliet omnem diligentem se,

Tamen enim non statim reconciliat, equidem diligit eum, faciendum eum sui dilectorem; imò prior diligit, sive diligit antequam diligatur (dilectione utique benevolentia, non amicitia) secundum illud Joan. 2. *ipse prior dilexit nos*, quatenus ad se diligendum gratiam ipsi tribuit, bonumque propositum inspirat. Unde optime Bellarminus de justificatione c. 18. *Deus prior dilexit nos, & diligendo facit iustos*, non statim, sed paulatim, & per certa media. Quos enim diligit, primum vocat ad fidem; tum spem, & timorem, & dilectionem inspirat; postremo justificat, & perfectam charitatem infundit.

2165. *Locus objectus ex 1. Joan. 4. & 1. Petri 4. non procedit de dilectione, seu charitate generaliter, sed specialiter dicta, quae est per Spiritum sanctum inhabitantem. Quam S. Thomas 1. 2. q. 65. dicit esse amicitiam hominis cum Deo, quae super amorem addit multam edamnationem. De qua etiam SS. Patres aiunt, quod sola discernat inter filios Dei, & filios diaboli. Quod sit donum Spiritus sancti, proprium Sanctorum, unde nemo communicat alieni. Quod si quis in corde suo invenerit charitatem, securus sit, quia si an sit de morte ad vitam, &c.*

2166. *Locus denique objectus ex Joan. 14. integrè relatus confirmat primam nostram responsionem. Sic enim habet: si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diligit eum, &c. Eo proinde Dei mansio, seu inhabitatio, non promittitur omni diligenti, sed sic diligenti ut Christi sermonem servet, Deum ex toto corde diligendo, mandata caetera servando, nihilque eorum praetermittendo, quae ad peccatorum remissionem Christus instruit.*

2167. *Objicies quartò celebrem locum Leonis Papae, epistolae ad Theodor. Episcop. Forojul. nullas pariter venia moras vera conversio.*

Respondeo manifestum esse ex toto contextu, sensum S. Leonis non esse, quòd omnis verè impenitens tamen conversus, Deo sine mora reconciliatur, ante Sacramenti susceptionem: contrarium namque sibi declarat, dicendo, *indulgentiam Dei non nisi supplicationibus Sacerdotum posse obtineri*; sed quòd per Baptismi, vel Penitentiae Sacramentum, sine mora reconciliatur omnis verè & sufficienter conversus, quamquam sit peccator inveteratus, non obstante quòd conversionem suam ad vitæ extremitatem distulerit. Nam expressè agit contra rigorem nonnullarum olim Ecclesiarum, quae talibus peccatoribus, solum in extremitate penitentibus, Sacramenta negabant, vel non nisi post certum penitentiae tempus conferebant.

2168. *Objicies quintò: omnis contritio ex amore Dei propter se, est contritio charitate perfecta. Atqui omnis contritio charitate perfecta hominem Deo reconciliat, priusquam Penitentiae Sacramentum actu suscipiat. Tridentinum sess. 14. cap. 4.*

Respondeo primò, distinguendo majorem: omnis contritio ex amore Dei, propter se, est contritio perfecta charitate, generaliter accepta pro amore Dei propter se, concedo. Sed de ea taliter accepta certum est Tridentinum ibi non loqui: cum contritio ex amore Dei, etiam non super omnia, vel etiam procedens ex amore Dei propter se naturali (secundum plerisque adversarios, qui talem admittunt) sit perfecta charitate generaliter accepta. Omnis contritio ex amore Dei propter se, est contritio perfecta charitate specialiter accepta, de qua num. 2165. nego. Unde

2169. *Respondeo secundo, distinguendo minorem ad sensum majoris: omnis contritio perfecta charitate specialiter dicta, hominem Deo reconciliat, &c. concedo: omnis contritio perfecta charitate generaliter dicta, nego. Cum Tridentini Patres actum charitatis generaliter dictum admiserint in homine exoptante, sed nondum obtinente justitiam,*

ut Tridentinae Historiae Eminentissimus Author ostendit l. 8. cap. 14.

Objicies sextò: omnis qui ex toto corde ad Deum convertitur, in gratiam statim recipitur, sed omnis qui ad Deum ex amore Dei propter se super omnia convertitur, toto corde convertitur. Ergo

Respondeo, majorem esse veram, si ly *ex toto corde* significet idem quod ex corde perfecto: scilicet, si significet idem quod ex amore Dei propter se super omnia praesè. Cum non omnis amor ejusmodi sit charitas perfecta.

Objicies septimò: vera charitas esse non potest in homine cum reatu peccati mortalis. Ergo vera contritio ex motivo verae charitatis esse non potest in homine cum reatu peccati mortalis; nec proinde esse potest sine remissione ipsius. Probatur antecedens, quia aliàs verè esse possent sequentes propositiones à Pio V. & Gregorio XIII. damnatae. 31. *Charitas perfecta est sincera, quae est corde puro, & conscientia bona, & fidei in fide, tam in Catechumenis, quam in penitentibus, potest esse sine remissione peccatorum.* 32. *Charitas illa, quae est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.* 33. *Catechumenus rectè & sanctè vivit, & mandata Dei observat, & legem implet per charitatem, ante remissionem peccatorum, quae in baptisimi lavacro demum recipitur.*

Respondeo, antecedens esse verum de vera charitate specialiter, non generaliter dicta, quam Tridentini Patres, ut dixi, admiserunt in homine nondum justificato. De ea proinde non procedunt tres illae propositiones, sed de specialiter dicta, seu etiam de charitate perfecta. De qua expressè loquitur 31.

Enimverò facta collatione trium propositionum illarum, cum aliis in eadem Bulla damnatis, manifestum est, propositionum illarum assertores voluisse, quòd charitas propria iustorum, sicut & charitas perfecta, esse possit in Catechumenis, & penitentibus, absque remissione peccatorum. Si quidem propositione 42. dicerent, quòd in hominibus penitentibus, ante Sacramentum Absolutionis, & in Catechumenis, ante Baptismum, est vera justificatio, separata tamen à remissione peccatorum. Propositionesque 55. & 56. usque adeò erraverunt, ut dicerent, reatum aeternae damnationis manere in perfectè contrito, cui peccatum à Deo remissum est quoad actum, non quoad reatum: perque Sacramentum Baptismi, vel Penitentiae, peccatum remitti quoad reatum, non quoad actum. Ipsorum namque propositio 55. sic habet: *in peccato duo sunt, actus & reatus: transiente autem actu, nihil manet nisi reatus, sive obligatio ad poenitentiam. Unde in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione, propriè reatus peccati dumtaxat solvitur, & ministerium Sacerdotum solum liberat à reatu. Propositio verò 56. est hujus tenoris: peccator penitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolutionis, sed à solo Deo, qui poenitentiam suggerens & inspirans, vivificat eum & resuscitat: ministerio autem Sacerdotis solum reatus solvitur. Nec solum voluerunt, justificationem illam vivificationemque à solo Deo fieri per Spiritum sanctum nondum inhabitantem, sed ad poenitentiam moventem & excitantem dumtaxat. Cum distinctionem illam ut commentitiam rejecerint propositione 61. sed & illa distinctio duplici justitiae; alterius quae fit per spiritum charitatis inhabitantem; alterius quae fit ex inspiratione quidem Spiritus sancti, cor ad poenitentiam excitantis, sed nondum inhabitantis; & in eo charitatem diffundentis, quae divinae legis justificationem implet, similiter rejicitur. Et propositio 62. item & illa distinctio duplici vivificationis; alterius quae vivificatur peccator, dum ei poenitentia, & vita nova*

propositum, & inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius quã vivificatur qui verè justificatur. Et palme vivas in vite Christo efficitur, pariter commemorata est, & Scripturis minimè congruens.

Ad majorem hujus nostræ responsionis confirmationem; obsequè obstruendum adversariis, occasione Bajananarum propositionum hic & aliis plus nimio peritrepentibus, ea hic adicere labor, quæ Illustrissimus sapientissimisque Pater Le Drou, Episcopus Porphyriensis, ad eandem objectionem profert in libro non semel laudato, anno 1707. Romæ permissu Rmi. P. Magistr. S. Palatii edito, cum approbatione R. adm. D. Joannis Ignatii Backx, Abbatis Belli Campi, totius Canonici Ord. Præmonstrat. apud S. Sedem Procuratoris Generalis, necnon Rmi. P. Caroli Philiberti Barberii, totius Ord. Carmelit. Exgeneralis, & R. adm. P. Ignatii Hyacinthi Amat de Graveson, S. Facultatis Parisiens. Doctoris, & Theologi Casanatenfis, Ord. Prædicat. Illustrissimus ergo Porphyriensis ad objectionem illam 7. apud ipsum 2. dist. 4. c. 1. respondet, objectas propositiones agere de charitate habituali, casque ita exponi à Francisco Suarez 3. p. ad art. 1. q. 85. disp. 4. sect. 7. n. 1. ubi ait: *Hic verò referri possent nova quadam opinio Michaelis Baji, qui fateretur quidem GRATIAM ET CHARITATEM in eodem momento infundi, in quo homo habet actum contritionis vel dilectionis: peccata verò non statim remitti, etiam quoad culpam, donec Sacramentum Baptismi, vel Poenitentiae, recipia recipiatur. Ex quo planè sequitur, talem actum non statim esse plene formatum. Illa tamen sententia supponit falsos errores, scilicet quod peccatum nunquam remittatur usque ad realem susceptionem Sacramenti; & consequenter sine hac susceptione non posse hominem salvari. Item posse esse hominem in statu peccati, imò & condemnari, cum habitibus gratiæ ET CHARITATIS.*

Nec abs re ita exponuntur, quia constat ex propos. 43. carum Authorum, vel Authores docuisse, dari justificationem, atque aded infusione gratiæ & charitatis habitualis, absque remissione peccatorum; puta in poenitentibus nondum absolutis, & in Catechumenis non baptizatis, ut indicant verba ex quibus contexta est, scilicet: *in hominibus poenitentibus, ante Sacramentum absolutionis, & in Catechumenis, ante baptismum, est VERA JUSTIFICATIO, SEPARATA TAMEN A REMISSIONE PECCATORUM.* Secundò, quia in propos. 33. dicitur, *Catechumenum sanctè vivere ante obtentam remissionem peccatorum.* Siquidem non habetur sanctitas vitæ, absque gratiæ & charitatis habituali, ut docet Bellarm. l. 2. de Poenit. c. 13. cum Augustino l. 1. contra duas epist. Pelag. c. 2. alienè, non bene vivere homines, nisi dum sunt effecti filii Dei.

Dixi *Authorem*, vel *Authores*, ut incidenter admoneam (quod & nos monuimus to. 1. Prolegom. 6.) totam seriem propositionum quæ in Decreto Pii V. recensentur, vulgò perperam adscribi uni Bajo, licet passim appellentur *Bajana*. Illic namque propositiones non tribui vult, sed pluribus, palàm faciunt hæc verba: *plerique, &c. in varias sententias, offensionis & periculi plenas, tunc verbo, tunc scriptis prorumpunt: quæ sunt in limine Decreti; uti & alia quæ sunt in calce: in rigore, & proprio verborum sensu ab ASSERTORIBUS intento, &c. Agnovit Bajus plarimas ex istis sententiis in nonnullis libris suis contineri.* Verùm etiam abnuit non paucas, uti à se nunquam traditas, & perperam sibi affectas.

In idem restit, quod à quibusdam dicitur, scilicet propositiones loqui de perfecta charitate

actuali, & de perfecta contritione: quippe quæ à gratia habituali nunquam divelluntur. Porro hunc sensum merito eliciunt ex propos. 31. 70. & 71. ubi fit expressa mentio *charitatis perfectæ*. Et quamvis proposit. 71. solum dicatur *per contritionem*, nihilominus quia mox subjungitur, *etiam cum charitate perfectâ*; satis ex hoc insinuat, sermonem esse de perfecta contritione; velut quæ non potest non esse perfecta, dum est cum perfecta charitate. Quare Card. Bellarminus l. 2. de Poenit. c. 13. loquens de eorum Authore: *Fuit (inquit) Docteur quidam ante paucos annos, qui in libro, quem de charitate conscripsit, adversus communem sententiam docuit, Catechumenis poenitentibus, quamvis perfectè convertis, & charitate flagrantibus, non remitti peccata, sive reatum mortis æternæ, nisi cum vel baptizantur, vel reconciliantur ministerio Sacerdotum, nisi forte in mortis articulo.* Et paulò infra: *Scriptori illi Catholico, qui veram perfectamque contritionem, cum reatu lethalis peccati usque ad Sacramenti perceptionem manere contendit, opponimus primò, &c.*

Atque hæc expositiones cumulatè ex eo roborantur, quòd dum illæ assertiones Lovanii cruperunt, hoc uno offendiculum præbuerint, quòd tunc nomen *charitatis* ex usu Scholæ significaret ejus habitum, vel actum ab inhabitante sancto Spiritu productum, eoque auditò divinæ effigies amicitia omnium animis obversaretur. De quo si ambegeris, en tibi ejus rei duos testes oculatos, ipsum scilicet Bajum, & Cuncrum Petri, ex Doctore Theologo Facultatis Lovaniensis Leuwardiensem Præulem; qui licet inter se circa eandem propositionem bella gesserint, & Cuncrus quæ lingua, quæ calamo in faciem Bajo restiterit, in eo tamen nitentis sunt concordēs.

Dum jam à Pio V. isti forent 79. articuli, tres Belgii Episcopi, Martinus Rithovius Iprensis, Franciscus Sonnius Butcoducensis, & Cornelius Jansenius Gandavensis, Bajo authores fuerunt, ut palàm eos exponendo, notam infamiam à se amoliretur; idque solemni eorum explicatione præstitit Bajus Lovanii in Scholis Theologorum die 17. April. 1570. Atque tum quoad articulos de charitate, an possit illa consistere cum peccato mortali, hæc profatus est: *Quòd in Catechumenis sit bona voluntas, dilectio, amor, apud omnes est extra controversiam. Sed difficultas ex eo nascitur, quòd non distinguerim inter bonam voluntatem, & charitatem, secundum consuetum modum loquendi Scholæ. Charitas enim a Schola non aliter accipitur, quam quomodo Paulus accipit 1. ad Timoth. 1. CHARITAS DE CORDE PURO, &c. hoc est DE CHARITATE PERFECTA, quæ est actus, vel habitus, quem operatur SPIRITUS INHABITANS ET PROPITIUS. Habent quidem dilectionem, quæ incipiunt Deum amare, ut loquitur Tridentinum; habent bonam voluntatem, amorem, & inchoatam charitatem, licet non perfectam. Augustinus quodam loco ista non distinguit, sed dicit, bonam voluntatem, dilectionem, amorem & charitatem in Scripturis indifferenter accipi. PECCATUM EST IGITUR IN EO QUOD SECUTUS AUGUSTINUM, non servaverim consuetum usum loquendi Scholæ. Sic responsum est tribus articulis, homo existens in peccato mortali, &c. art. 67. charitas perfecta, &c. art. 32. & Catechumenus jusse & recedè, &c. art. 33. Hæc ille. Ex quibus planum fit, tunc usu receptum fuisse, ut *charitas* illic non aliter acciperetur à Schola, quam pro *charitate perfecta*, quæ est actus vel habitus, quem*

operatur Spiritus inhabitans & propitius. Et in eo peccatum à Bajo, quod non servaverit consuetum usum loquendi Scholæ. De quo, & aliis cratis, finitâ omnium articulorum expositione, veniam deprecans, dixit: fateri se aliquando distulisse in alteram partem certò definitam, & in suetas difficultates aliquando tractasse, & CONTRA CONSUEVUM MODUM ET USUM LOQUENDI SCHOLÆ LOCUTUM. Et dolere se hoc fecisse; & si scripsisset per hoc aliquem turbatum, aut offensum iri, abstinuisse; sicut nunc edoctus facturus erat.

Quod verò intelligamus, Bajum hic nihil fingere, sed ex animo loqui, non erit operæ dispensandum referre verba, quibus discursum suum clausit: *Hæc est (inquit) mea apud vos excusatio (si tamen excusatione opus sit) quam puto sufficere. Hanc mecum seravo, non solum in charitate, sed etiam, coram Iudice meo Deo, in memoria mea. Vivamus in pace, & abstinemus ab his, quæ vel nos, vel alios perturbare possunt.*

Hactenus exhibuimus Bajum loquentem, postquam Romana fulmina in 79. articulos jam sciverant. Nunc audiendus est in Annotationibus, quas longè antè exaravit in Censuras Sorbonæ, quibus aliquot id genus assertiones perstrictæ fuerant. Nam istæ Censuræ illi reditæ sunt anno 1560. Roma verò primùm exarsit in 79. articulos anno 1567. At autem Bajus ad Censuram hujus articuli: *homo existens in peccato mortali, sive ejus reatu ad mortem æternam, habet in se charitatem.* Cui Sorbona inulserat notam hæreticis. Scio SCHOLÆ COMMUNE ESSE DOCUMENTUM, charitatem esse habitum, per cuius iustitiam & insensibilem injuriam formaliter fiat omnium peccatorum remissio, & sine cuius infusione fieri non possit. Sed an istud Decretum tam solidis argumentis probari queat, ut contrarium dicendum sit hæreticum, magnopere cuperem edoceri. Ex quibus patet etiam tunc factum fuisse Bajum: quod loqueretur contra morem Scholæ, & ab illo recederet. Nunc ad Cunctum Petri.

Postquam Bulla Pii V. per Maximilianum Morillonium, Præpositum Aricensem, & Cardinalem Granvellani, Mechliniensis Archiepiscopi, tunc Romæ existentis, in Diocesi Mechliniensis Vicarium, Facultati Theologica Lovaniensium redita esset; scripsit Cunctus contra articulos ab ea damnatos, & fronte palam directus in Bajum, atque ita ante suum librum præfatus est: *Charitas, quia omnes in ea DIVINAM CONCIPUNT AMICITIAM, non sustinet COMMUNES FIDELIUM AURES, quod SINE CULPÆ REMISSIONE in aliquo invenitur; ubi si proposueris, an dilectio, seu amor Dei, à culpa remissione ad tempus separari possit, omnes toto corde confitentur. Imò si progrediaris, an dilectio, quæ Dei est EX TOTO CORDE, eum in homine statum patitur, ut ei, quamvis peccata certo suo loco & tempore remittantur, nondum tamen, quia Sacramenta differt, remissa sint, & adhuc impurari possint? INVENIES CATHOLICOS DOCTORES, qui tecum consentient, modò etiam extra articulum necessitatis per eam peccata aliquando remitti consueveris. Ita Cunctus in istis libri Præfatione, sui semper similis, & conformiter loquens, dum in ipso libro pertractat articulos ad hanc materiam spectantes.*

En igitur (Cuncto teste) in proparulo, quod quantum ad charitatem, is tunc fuerit usus Scholæ, ut omnes in ea divinam conspicerent amicitiam, & propterea non sustinerent communes fidelium aures, quod sine culpa remissione in aliquo invenitur. Hoc uno moleculus erat Bajus, dum secus loqueretur. Hic erat lapis offensio-

nis, & petra scandali. Siquis verò tunc diceret, *Dei dilectionem, etiam quæ est ex toto corde, sive super omnia, secum admittere aliquando statum peccati, puta dum peccator (ut interdum fas est) Sacramenta adhuc differt; inveniebat secum consentientes Catholicos Doctores, nec erat durus sermo, sed poterat audiri absque offensione, modò fateretur, per eam peccata aliquando remitti, hoc est certo suo loco & tempore, etiam extra articulum necessitatis. Ubi proinde fateri oporteat, non fuisse tunc Bajo ea de causa obstrepium, quod assereret ejusmodi amorem posse aliquando reperiri absque remissione peccatorum; sed quia hoc tribuebat illi amori sub nomine charitatis, exprimente ex usu Scholæ amorem, qui est amicitia cum Deo; & hoc ipso (quantum erat ex vi loquelæ) simul confociabat amicitiam Dei cum statu peccati; quod COMMUNES FIDELIUM AURES NON PATIEBANTUR, nec modò sufferunt. Idque ex jam dictis adeò effulget, ut uberius hoc illustrare otiosum sit.*

Non deest alioqui ejusdem rei aliud documentum ex Forma doctrinæ, quam Facultas Theologica Lovaniensis (jubente Joanne Francisco Bonhomo, per eamque Germanianum sub Gregorio XIII. Apostolico Nuntio) eo fine exaravit, ut in hisce rebus Sedis Apostolicæ iudicio congrueret, damnatisque sententis ex adverso consideret: quæ doctrinæ Forma (ut legitur in Actis Decanatus Facultatis) ejusdem nomine à celeberrimo Doctore Joanne Leuæo concepita, & præfato Nuntio consignata fuit. Siquidem, ait ibidem Facultas ad articulos de charitate: *falsum est hominem in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis existentem, posse veram habere charitatem. Esi enim ante suam justificationem inhi in penitente amor aliqui iustitiæ, eaque dilectio, quæ Deum diligere incipit, tanquam totius iustitiæ fontem; si tamen amor, qui CHARITATIS NATURAM (aliis PRÆSTANTIAM) assequitur, seu vera illa (legunt alii PERFECTA) & sincera charitas, quæ est ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta, cum æternæ damnationis reatu non consistit. Ubi certis, nomen charitatis rursum stare pro amore, qui est ex corde puro, &c. atque adeò à Spiritu sancto inhabitante; ac intuper damnatas propositiones fuisse eo sensu à prædicta Facultate acceptas, eaque de causa rejectas & confutatas. Quod rursus consuetudini Scholæ, per id tempus ita loquentis, adscribendum est.*

Quamquam verò hæ Responiones exuberant, juvabit eis ex superabundanti adjicere nonnulla, quoad hanc particularem propositionem: *charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum; in qua Adversarii plurimum momenti constituerent solent.*

Imprimis quadrat illi vel maximè prima Responso: idque non solum ob jam explicatam acceptionem vocis charitas, pro charitate habituali; sed etiam quia sicut compleitur motus per afflictionem termini ad quem, ita possimè habetur legis plenitudo, & consummatio, dum lex suum finem consequitur. Non enim quævis charitas, sed habitualis, quæ est de corde puro, & conscientia bona, est finis legis, ut constat ex Apostolo ad Rom. 1. Hinc Bellarminus l. 2. de penit. c. 13. ex eodem Apostolo ad Rom. 13. & ex Augustino de fid. & oper. c. 14. docet, neminem rectè vivere, neque legem implere, nisi justificatum.

Præterea longè ab invicem distant, legem servare in voto, & solo affectu, & eandem complere in actu. Priori modo lex non completur nisi

nisi inchoatè, & in præparatione animi; nec præstatur ei sua plenitudo, nisi posterior modus accesserit: v. g. lex justificationis, quæ imponit onus suscipiendi Sacramenti, non omninò consummatur, nisi reipsa suscipiatur Sacramentum.

Quare charitas, ut in rigore sit plenitudo legis, debet esse Sacramento conjuncta. Et in hoc sensu intellecta propositio damnata, in cassum nobis objicitur, qui sponte fatemur, charitatem super omnia, dum Sacramento conjuncta est, semper justificare.

Atque hanc sententiam jam olim ei tribuit Facultas Lovaniensis in *Forma doctrinae* mox indicata, Nuntioque Bonhomo porrecta: neque enim (inquit c. 11.) eandem vim habens obedientia legis, & ejus plenitudo: siquidem legis obediens est, qui voto saltem, desiderioque animi, ac sincero conatu legi obsequitur, ETIAMSI IPSA NONDUM AB EO LEGIS PLENITUDO PRÆSTETUR. Quia & ipse Bajus eundem sensum innuere videtur l. de charitate c. 7. in argum. 15. dum ait: Catechumeni & pœnitentes, de lege & admonitione Domini multum implent, quando ad peccatorum remissionem aspirantes, convertunt se ad Dominum, pœnitentiam agunt, consentunt, baptizantur, &c. Igitur habent charitatem, quæ est legis plenitudo. Siquidem non dicit quotvis Catechumenos, aut pœnitentes, ad Deum conversos, habere charitatem, quæ est legis plenitudo; sed illos qui consentunt, & baptizantur.

An tamen præfata damnata propositionis sensus erucendus sit ex Bajo, ex quo ipse in Apologia sua ad Pium V. Pontificem contestatur, nec illam, nec trigessimam tertiam: Catechumenus justè, &c. in suo Libello inveniri, Lectoris judicio relinquo: *Hæc duæ sententia* (inquit ibidem) in meo Libello non habentur. Denique alia est legis plenitudo, in eo sita, quod charitas faciat custodiri mandata, etiam quando tentationes graviter tumultuantur; quæ charitas (juxta Bellarminum lib. 6. de grat. & lib. arbit. c. 7.) est dilectio super omnia, quoad affectum & effectum. Hanc verò charitatem, sanè perfectam, ante realem Sacramenti susceptionem justificare, non inviti concedimus. At negamus id effici à charitate, quæ solum est super omnia quoad effectum.

Hactenus Illustrissimus Porphyriensis, profusè egregiè, atque omninò conformiter illis quæ diximus to. 1. Prolegomeno 6.

2172 Objicies octavo: omnis verè ad Deum conversus, definit à Deo esse averfus. Ergo definit esse peccator. Omnis etiam Deum propter se amans, spiritualiter vivit. Vita autem animæ gratia est.

Ad posteriorem objectionis partem respondeo, ex damnata propositione 62. constare, duplicem esse vitam; unam inchoatam per Spiritum sanctum moventem, & nondum inhabitantem; alteram perfectam per Spiritum sanctum inhabitantem, gratiamque sanctificantem. Priori vitæ vivit omnis, Deum propter se amans; non posteriori.

2173 Ad priorem verò partem respondeo, omnem verè ad Deum conversum, definire esse à Deo aversum, quoad affectum, & complacentiam: secus quoad culpam, Deique offensam. Quæ semel admissa non tollitur per solum retractationem, ablationemque affectus ad illam, sed per solum Dei condonationem: ad quam non sufficit displicentia culpæ admittæ (utpote quæ nequidem sufficit ad hoc ut homo homini offensam condonet) nisi talis & tanta sit, qualem & quantam Deus exigit. Porò vel perfectam exigit, ad condonandum ante actualem Sacramenti susceptionem; vel saltem imperfectam, ad condonandum

dum in Sacramento. Utramque verò esse vult ex sui propter se amore, prout ex divinis Scripturis, Sanctorum Traditione, & Concilio Tridentino satis demonstravimus.

Replicabis: difficulter explicari potest, in quo consistat culpa & offensæ Dei, remanens post sublatam Dei averfionem quoad affectum & complacentiam. Neque enim consistit in voluntate sibi complacente, saltem habitualiter, in peccato præterito; neque in voluntate peccandi in futurum. Neutrâ enim habet, qui per suam in Deum conversionem, & complacentiam illam retractavit; & ultra non peccare proponit: in quo ergo consistit?

Respondeo: licet difficulter explicari posset quomodo remaneat; non idèò negandum esset remanere: sicut non idèò negandum est originale peccatum, quia illud difficulter explicare potest hominis ingenium. Etsi enim nullo sermone explicetur, verum tamen est, quod antiquitus veracè fide Catholica prædicatur, & creditur, ait Augustinus lib. 6. in Julian. c. 5.

Cæterum simili argumento olim satisfecit Augustinus loco citato cap. 19. cum enim dixisset: *Idolis immolatio, quæ jam nec in actione est, quia præterit: nec in voluntate, quia error, quo stibat, absumptus est: manet tamen reatus ejus, donec in lavacro regenerationis, peccatorum omnium remissione solvatur. Reatum tamen illum agnoscens in homine, etiam converso, quaerit à Juliano: Dic mihi reatus iste quis sit, & ubi maneat in homine jam correcto, rectèque vivente, nondum tamen peccatorum remissione liberato? Cùmque Julianus responderet, quòd actu præterente, manet ejus reatus in illius conscientia, qui deliquit, donec dimittatur. Replicat Augustinus, hoc eile perinde, ac si diceret, manere in animo ejus qui deliquisse se meminit, & serupulo angitur conscientie, donec fiat delicti remissione securus. Sed quid (inquit) si obliviscatur se deliquisse, nec ejus conscientia stimuletur, ubi erit reatus ille, quem transeunte peccato, manere concedis, donec remittatur? Non est certè in corpore, quia non est eorum accidentium, quæ accidunt corpori. Non est in animo, quia ejus memoriam delevis oblivio, & tamen est. Ubi est igitur, cùm jam bene vivat homo, nihil tale committens; nec dici possit, eorum peccatorum ejus reatum manere, quæ meminit; eorum verò quæ oblitus est, non manere. Manet quippe omnino, donec remittatur. Ubi ergo manet, nisi in oculis legibus Dei, quæ conscriptæ sunt quodammodo in mentibus Angelorum, ut nulla sit iniquitas impunita, nisi quam sanguis Mediatoris expiaverit. Cujus signo crucis consecratur unda baptismatis, sicut & absoluto Sacerdotis, ut eà diluatur reatus, tamquam in chirographo scriptus, in notitia spiritualium possessus, per quas poena exigitur peccatorum.*

Non eo tamen modo in oculis Dei legibus, notitiæque divina, manet reatus peccatorum penitentium, seu conversorum, ac impenitentium. Cùm istos Deus respiciat tamquam in affectu peccati, rebellionemque perseverantes, & idèò supplicii æterni destinatos: illos tamquam remissioni per suam conversionem propinquantes, sibi que reconciliandos, statim atque sanguis Mediatoris; per Baptismatis, vel Pœnitentiæ Sacramentum; ipsis fuerit applicatus. Quos si contingat morte inopinatè præveniri, ante optatam susceptionem Sacramenti, in eis misericordia divina, intuitu ejusdem Mediatoris, invisibiliter supplebit, quod non ex voluntate, sed ex necessitate visibiliter defuerit, ut Sancti docent.

Objicies nonò: S. Thomas in 4. dist. 17. q. 5. a. 5. dicit, quòd minima contritio sufficit ad deletionem peccatorum, quamlibet grandium.

Respondeo (cum Adriano, & Rosemundo supra) per minimam contritionem, ibi à S. Doctore non intelligi minimam de peccatis dolorem, etiam propter Deum: utpote qui (ut dicit ibidem) potest esse adeo parvus, quod non sufficeret ad rationem contritionis, per gratiam formandam, ut si minus displiceret ei peccatum, quam debeat displicere separatio à fine: sicut etiam amor potest esse ita remissus, quod non sufficiat ad rationem caritatis specialis: sed dolorem formatum per gratiam, charitatemque habitualement, quæ, quamlibet minima, sufficit ad deletionem quorumcumque peccatorum.

2178 Obijcies decimò: Ecclesia subinde concedit Indulgentias contritis, cum proposito confessionis, suo tempore faciendæ. Igitur supponit, ipsos per contritionem justificari, & à pœnæ æternæ reatu liberari. Cum prius sit liberari à pœnæ æternæ, quam à temporali, quæ tollitur per Indulgentiam.

Respondeo negando consequentiam. Quia, ut bene Sylvius, opus ab Ecclesia præscriptum ad lucrandam indulgentiam, fieri potest ante peccatorum remissionem: ante quam etiam indulgentia potest esse concessa, & à Deo acceptata, adeoque firma & rata, tametsi non fortitura effectum, nisi post sublatum mortalis culpæ, pœnæque æternæ reatum. Nec aliâ intentione indulgentiam Ecclesia concedit contritis, necdum remissionem per confessionem consecutus.

2179 Obijcies undecimò: Sacerdotes omnes contritis, necessitate urgente, Confessarioque deficiente, à Tridentino celebrare permittuntur, absque prævia confessione. Omnes ergo à Tridentino supponuntur contritione justificari.

Nego iterum consequentiam. Quia, ut bene iterum Sylvius Supplem. q. 5. a. 1. illâ permissione solum declaratur, ipsos ab incurfione novi peccati excusandos, nec indignè communicaturos, taliter celebrando. Indignè quidem communicarent, si peccati mortalis sibi conficii, ad Altare sine confessione accederent, Confessarii copiam habentes. Non sic dum id in necessitate faciunt, peccati affectum seridè deponentes, amorosaque contritionis actum pro posse elicientes, confessuri, si copiam haberent Confessarii. Sic enim tutò se committunt misericordiæ Dei, concipientes spem, & fiduciam accipiendi gratiam à divino illo pane, qui dat vitam mundo, & in ejusmodi casu primam gratiam per accidens confert devotè communicantibus, ut dixi tom. præcedenti lib. 4. Nisi enim ita esset, perpetua in anxietate forent Sacerdotes, absque confessione in necessitate celebrantes. Cum præsumere vix, aut ne vix possent (regulariter loquendo) perfectè se esse contritos. Eò quod perfectæ contritio rarissima sit, & in quàm paucis inveniat, ut dicit Catechismus Romanus.

2180 Obijcies duodecimò: omnis vera contritio ex amore Dei super omnia, cum Sacramenti voto, justificat in articulo mortis, si desit Sacerdos, qui reconciliet penitentem. Igitur & extra articulum illum. Quod enim justificet in articulo mortis, provenit ex natura & virtute contritionis, quæ (utpote eadem extra, quàm intra articulum illum) idem extra operatur, quod intra. Idem enim, manens idem, semper facit idem.

Nego consequentiam, & id quod assumitur ad eam probandam, cujus falsitas constat ex dictis cap. præcedenti, à num. 2155. ad 2161. ubi ostensum est, imperfectè contritum in articulo mortis non justificari ex natura & virtute contritionis, sed ex gratuita Dei voluntate & in misericordia, supplente defectum Sacramenti, non provenientem ex voluntate, sed ex necessitate.

2181 Obijcies ultimò: omnis homo Deum propter se super omnia diligens, est justus. Omnis ergo

contritus ex ejusmodi dilectione, est justus. Omnis proinde dilectio & contritio ejusmodi, est dilectio & contritio perfecta.

Respondeo distinguendo antecedens: omnis homo Deum propter se super omnia diligens, est justus, justitia quæ fit per Spiritum sanctum moventem, & dilectionem illam inspirantem, sed nondum inhabitantem, concedo: est justus, justitia quæ fit per spiritum charitatis inhabitantem, nego. Distinguenda quippe est duplex ejusmodi justitia, ut constat ex propositione 63. per Piam V. damnata. Et sicut non omnis homo Deum propter se diligens, super omnia diligit (aliud est enim Deum propter se, aliud super omnia diligere, & istud ab illo separatur in millenis hominum myriadibus) sic non omnis Deum propter se super omnia diligens, corde perfectè, sive perfectè diligit. Cum infinita etiam sint myriades hominum, Deum propter se super omnia diligendum corde imperfectò, id est remissè, non cum ea intentione, vehementia & fortitudine, quam SS. Patres, præcipuique Doctores, cum divina Scriptura, ad perfectam requirunt dilectionem, contritionemque. Cætera quæ obijciuntur, nervosè dissolvit Illustrissimus P. Le Drou, omnino videndus à pag. 348. ad 387. Editionis Lovanicensis.

CAPUT CLXXII.

Contritio perfecta cum Sacramento non requiritur.

Ita sentio cum Catechismo Romano p. 2. c. 5. ubi q. 47. ubi sic: *Ex Fidei Catholica doctrina, omnibus credendum, & constanter affirmandum est, si quis ita animo affectu sit, ut peccata admissa deleat, simulque imposterum non peccare constiterit, est hujusmodi dolore non afficiatur, qui ad impetrandam veniam satis esse possit, ei tamen, cum peccata Sacerdoti ritè confessus fuerit, ut clavium, scelera omnia remitti, ac condonari, ut merito à sanctissimis Viris, Patribus nostris, celebratum sit, Ecclesie clavibus, aditum in celum aperiri. De qua nemini dubitare fas est, cum à Florentino Concilio decretum legamus, penitentiam effectivam esse absolutionem à peccatis. Quæ absolutio, est aliquando tempore præcedit Sacramentum (inquit sanctus Thomas in 4. dist. 22. q. 2. a. 1. quasi 3.) aliquando tamen in ipso Sacramento efficitur. Et opusc. 17. c. 2. quandoque aliqui consequuntur justificationem in absolutione, quam antea non fuerant consecuti. Quod & de Baptismo tradit Augustinus, alique Patres cap. 169. relati.*

Ratio assertionis prima est, quia penitentia est Sacramentum mortuorum. Non supponit ergo vitam primam in subiecto suo, sed eam contrit ex opere operato, sive ex virtute sanguinis Jela Christi. Per consequens non requirit in subiecto suo dispositionem sufficientem ad vitam primam ipsi conferendam, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur.

Nec omnino satisfacit responsio eorum, qui dicunt, contritionem perfectam non conferre vitam primam, nisi virtute Sacramenti, cujus votum continet. Quia ratione illius voti præcisè Sacramentum, in esse Sacramenti, non videtur conferre vitam primam. Cum Sacramentum, ut existens in voto, sed non sit Sacramentum in esse Sacramenti, sed Sacramenti votum dicitur. Quod votum, cum non magis sit votum Sacramenti absolute futuri, quàm absolute non futuri, ob invincibile obstaculum; non magis continet virtutem Sacramenti absolute futuri, quàm absolute non futuri. Ergo Sacramentum absolute futurum, non magis confert vitam primam